



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xvii [i.e. xiv]. Nulli alteri subalternata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

huic doctrinæ natura habituum supernaturalium aut fidei naturalis, priores enim, cum non generentur per actus, neque per illos, nisi meritoriè, intendantur, inclinare possunt ad actus specie distinctos; posteriores verò inclinare possunt ideo ad actus specie diversos v. g. quibus credo, quod dicitur mihi à Petro de inferno, & quod dicitur mihi ab eodem de cælo quia auctoritas Petri, utpote motivum movens me ad credendum, est narrationi illius extrinseca, & cum quocunque objecto æquè connexa; in Logicâ autem aliisque scientiis debet esse intrinseca connexio motivi formalis cum materia; sed unum idemque motivum non potest connecti cum tam disparatis objectis, & movere me ad assensum tam diversorum.

XIV. Neque Logica est scientia subalterna; conditiones siquidem requisitæ ad hoc ut scientia aliqua sit subalterna, sunt hæ: primò ut objectum subalternæ contineatur sub objecto subalternantis, ita, ut ab illo dependeat intrinsecè in esse & cognosci à priori, sicut cognitio lineæ visualis dependet à cognitione lineæ. Secundò ut objectum subalternæ sit aliquo modo idem cum objecto subalter-

alternantis (aliàs subalternata non poterit  
uti iisdem principiis & demonstrationibus  
subalternantis.) & aliquo modo diversum,  
non essentialiter, sed accidentaliter : ubi ta-  
men advertendum, differentiam, quæ est ac-  
cidentaliter objecto in esse rei, esse eidem quan-  
doque essentialiter in esse objecti respectu  
talis scientiæ, si nimirum objectum conside-  
retur sub tali accidente tanquam ratione  
formali objectiva, adeoque scientia agens  
de tali objecto per talem differentiam con-  
tracto, non est subalterna respectu scientiæ  
agentis de eodem objecto non contracto  
per talem differentiam, egebitque princi-  
piis prorsus diversis & demonstrationibus,  
utpote quæ conveniunt scientiæ ratione ob-  
jecti formalis: debet igitur subalterna de-  
monstrare passiones de objecto contracto  
per talem differentiam ratione sui & non  
ratione istius differentiæ, applicando de-  
monstrationes propriæ materiæ, quas sub-  
alternans conficiebat in materiâ non con-  
tractâ per talem differentiam, quæ demon-  
strationes tantum accidentaliter different  
ratione materiæ affectæ tali differentiâ ac-  
cidentaliter in subalternâ à demonstrationibus

B 3

sub-

subalternantis. Verbi gratiâ hæ duæ conclusiones: *partes figura circularis difficillimè inter se coeunt; & partes vulneris circularis difficillimè inter se coeunt;* differunt tantum ex eo, quod una abstrahat à materia, posterior fiat in materia particulari, ac proinde posterior chyrurgica debet probari à Geometra eadem demonstratione, quâ probatur prior dicendo: *quia partes figura circularis maximè inter se distant.* Hæ verò conditiones non conveniunt Logicæ respectu ullius scientiæ, ergo. Aliæ siquidem etiam scientiæ agunt de operationibus intellectus, ut Animastica, sed sub alia ratione formali. Neque principia logicæ, uti & aliarum scientiarum demonstrantur à Metaphysica, saltem per demonstrationem ostensivam (qualiter subalternans demonstrare debet principia subalternatæ) sed ad summum per demonstrationem deductivam ad impossibile seu ad duo contradictoria per principium universalissimum: *quidlibet est, vel non est.*

XV. Logica docens dicuntur logicalia præcepta universalialia, quatenus in genere  
tra-